



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 121. Hæreticorum Antverpiensium consilia pro defensione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

§. CXX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1566.

Solemne Fœderatorum juramentum.

Rebus ita consultatis tandem Fœderati ad arma conclamare decreverunt, atque ex illis Nobiles cum mercatoribus, reliquisque plebeis hæresi imbutis solemniter utrinque Sacramento conspirarunt, in hunc modum: ut Nobiles istorum patrocinium susciperent adversus omnes, qui libertatem Religionis oppugnatam irent: Mercatores vero pecuniam illis, operamque pro communi securitate subministrarent: ne autem sectarum varietate distraherentur hæretici, Ludovicus Nassovius egit per literas cum Antverpianis eos adhortans, ut depositis parumper, usquedum res firmarentur, privatis de Religione sententiis, in Augustanam Confessionem concederent omnes, cum sic foret, ut imperii Electores, qui eam profitentur, ipsorum causam impense agerent apud Cæsarem, & Germani milites non facile in Belgas ejusdem Religionis socios arma sumerent.

Strada l. c.

§. CXXI.

Hæreticorum Antverpiensium consilia pro defensione.

Hæ literæ sperato successu haud ca-
ruere, quippe Antverpienses hæ-

Strad. l. c.

Sæcul. XVI.
A.C. 1566.

retici datis Genevam literis, exploratoque Theodori Bezæ consilio, probatisque ab eo hisce Religionis induciis, novæ professionis formulam Augustanæ similem concepere, ut eam Cæsari in proximis Comitibus offerrent, una cum supplici libello, quo ejus apud Regem operam, ac patrocinium exorabant, præterea ut vocant *confistoria*, seu Senatus, ac cœtus, multis in urbibus, sicuti jam Antverpiæ cœperant, instituerunt, creatis Magistratibus, Senatoribusque, quorum consiliis universa hæreticorum societas regeretur, ita tamen, ut eadem statuta sua antea cum Antverpiana Curia, quam esse principem voluere, communicarentur: insuper initum ad hæc fœdus cum Palatino Septemviro, reliquisque Germaniæ hæreticis Principibus, infensis Austriacæ domus hostibus: quinimo Comes Meganus Gubernatricem clam edocuit, quod in Saxonia mille, ac ducenti equites jam Principis Orangii jussu, jam conscriberentur. Eodem tempore secretis ex Francia literis admonebatur Gubernatrix, quod Hugonotæ in Galliis, Caspare Colinio turbatore, de ope Belgis asserenda consilium inierint, ac decem equitum, & triginta peditum vexilla Belgis submittere decreverint, ita tamen, ut hæ

hæ copiae in Germania contraherentur, eoquod Carolus IX. prohibuisset, ne hujusmodi delectus in Gallia haberentur. Præterea circa hoc idem tempus etiam ab Urbe Constantinopolitana allatæ perlectæ sunt in Antverpiensi fœderatorum Senatu literæ Joannis Michesii, seu Muchi Judæi hominis præpotentis, ac Turcarum Imperatori Selimo II. familiarissimi, quibus ille Calvinianos Antverpienses hortabatur, animabatque, ut quoad eam, quam fortiter inierant, conspiracyonem adversus Catholicos exequendam festinarent, eoquod Turcarum Imperator consilia haud negligenda foveret erga Christianum nomen, brevique Othomanicis armis adeo implicandus esset Philippus Hispaniæ Rex, ut de Belgis ne cogitaturus quidem foret.

Sæcul. XVI.
A.C. 1566.

§. CXXII.

Hæreticorum libellus supplex per Hochstratum Gubernatrici porrectus.

Hoc nuntio Fœderati auctis animis in Antverpiensi Senatu decreverunt, ut nunc, cum certa jam adesset firmandæ factionis occasio, ab universâ Societate, quanta posset, plurima pecunia conflaretur, ad subitaneos rerum eventus: porro idipsum summa contentione cœptum est agi eo tempo-

Strad. 1. 5.

O o 5

re,